

1581

ti Imperatoris filia , Maximiliani Cæsar is conjux , Rodulphi mater , Philippi Hispaniarum Regis soror erat ) splendide exciperet , quatuor oratores ad eam in Carnorum finibus excipiendam designavit : fuere ii Jacobus Fuscarenus , Joannes Michaelius Marcii Procuratores , Joannes Superantius , Antonius Theupolus , omnes equestris ordinis . Sumptus ex publico in singulos dies mille aureorum numero exhibiti . Ad Reipublicæ fines egregio comitatu stipati oratores excepero , perque Venetas ditiones deduxere . Patavium ingredienti ab immenso fere mortalium numero omni prope nobilitate , quam curiositas ad eam visendam attraxerat , Venetiis effusa , obviam itum . Imperatrix Claudium Triultum , ut , suo nomine Patribus salutatis , ingentes gratias ageret , egregiumque ipsius in Rempublicam animaum significaret , Venetas misit .

*Claudius  
Triultus  
ab Impera-  
trice ad Se-  
natum mis-  
sus.*

Eodem anno adhuc bellum Amurathis cum Rege Persarum vigebat ; Sinane Mustaphæ , ut diximus , suffecto , perdifficili ac periculoso itinere , molestiis , quas secum in regiones longinas expeditiones trahunt , attritæ Turcarum vires . His incommodis Amurathes adactus , quemadmodum in triennium inducias cum Hispanis pepigerat , ita in Venetos haud vulgaria honoris atque existimationis signa in dies edebat , dapifer ( quem *Cefnegirum* Turcæ eorum lingua vocant ) Venetas misslo , ut ad festa , quæ in Mchemetis filii circumcisione Byzantii concelebranda erant , Rempublicam invitaret . Ei victus e publico suppeditatus , ædes tributæ , aurei mille & quingeniti dono dati . Jacobus Superantius Procurator ad Amurathem denuo legatus est creatus . Anni exitu ad munitionem , quæ Corcyrae immani sumptu extruebatur , visendam ac stabilendam Jacobus Fuscarenus , Marcus Antonius Barbarus , procuratorii ambo equestrisque ordinis , legati a Senatu missi , qui cum insulæ prætore ac legato , classisque summo præfecto pro majori parte cuncta ad opus perficiendum necessaria decerrent & curarent . Qui Corcyram delati , impositum onus , singulis adamussim expensis , muniendæque insulæ ratione præscripta , complevere .

*Jacobus  
Superantius  
ob Mcheme-  
tis circum-  
cisionem  
eratus By-  
zantii eli-  
gitur.*

*Jacobus  
Fuscarenus  
& M. An-  
tonius Bar-  
barus Cor-  
cyram mit-  
tantur.*